



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XIV. De Consanguinitate & Affinitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

fanguinea, & hæc se cum consanguinea  
sua marito vel sponso peccare non igno-  
ret; quod *c. 1. cit.* clarè est expressum;  
cum enim hujus ignorantia ab incestus  
culpa excuset, *can. Inebriaverunt, 15. q. 1.*  
etiam eximet ab incestus pœna: quæ cul-  
pæ debet respondere, *l. Perspicendum 11.*  
*ff. Et c. Felicis 5. V. Illud, de Panis in 6.*  
*Farinac. Prax. Criminal. q. 17. n. 9. &*  
*Sanchez cit. disp. 15. n. 9.*

13. Quartò; ut idem impedimentum  
& privatio contrahatur, exigitur; ut  
incestus sit voluntarius: non vi extortus;  
cum enim, quæ vi oppressa & corrupta  
est, vacet culpâ, culpæ etiam pœnam  
evadet, *l. Et V. cit. Gutierrez cap. 87.*  
*n. 12. Sanchez n. 10. & Barbosa in c.*  
*Discretionem 6. n. 2.*

14. Quintò aliqui exigunt; ut incestus  
publicus sit & notorius Juris aut Facti  
notorietate, propter textum *c. De illo*  
*3. ubi, sine ejusmodi incestus notorietate*  
*matrimonium impediri, non permit-*  
*titur. Sed perperam; quia, licet hoc*  
*in foro externo ita se habeat, in interno*  
*tamen ferè sicut cætera occulta, sic e-*  
*tiam relata impedimenta, quantumvis*  
*notoria aut publica non sint, conjugii*

obstare, cum Glossa in *can. Qui dor-*  
*mierit 21. V. Neutram, 32. q. 7.* rectè do-  
cent *cit. Gutierrez n. 18. & Sanchez n.*  
*13. & 14.* cum; quod impedimenta ista  
non officio judicis, sed ipsò Jure infligantur:  
tum verò; quod incestus crimen, sicut occultè  
committitur, sic ferè semper maneat occultum;  
& propterea, si ejus notorietas, requireretur,  
impedimentum rarissimè contraheretur.

Pro coronide probè notandum il- 15.  
lud est; quod, licet privatio juris exigendi  
debitum conjugale, quod à conjugè incestuoso:  
& impedimentum dirimens matrimonium,  
quod à sponso cum sponsa consanguinea peccante contrahi,  
est dictum, moderno etiam usu recepta  
sint, impedimentum tamen, matrimonium  
cum alia contrahendum impediens,  
verisimiliùs non-usu seu Consuetudine  
contraria sit sublatum, ut cum Navarro  
*Manual, cap. 22. n. 75. & aliis docent cit.*  
*Sanchez n. 2. & Perez disp. 23. de Matr. f.*  
*5. n. 8.* Quare, nisi in aliqua provin-  
cia vel diocesi ejus usum vigere constet,  
pœnitentes incestuosi, præsertim juvenes  
à matrimoniis non facillè sunt arcendi.



## TITULUS XIV.

### De Consanguinitate & Affinitate.

**S**ive antiquitatem originis, sive  
usûs frequentiam spectemus,  
inter Conjugiorum Impedi-  
menta principem locum obtinet Cognatio  
Naturalis sive Consanguinitas: cu-  
jus & ex conjugali copula ortæ Affinitatis  
natura & vis hæc Rubricâ declaratur.

#### ARTICULUS I.

De Gradibus Consanguinitatis, Conjugia dirimentibus.

SUMMA.

## SUMMARIUM.

1. Consanguinitatis etymon ac definitio.
2. Eâ non omnes homines,
3. Adam tamen Abel & Cain:
4. Non Homines & Angeli,
5. Aut illorum Protoparentes:
6. Christus tamen & B. Virgo sunt conjuncti.
7. Consanguinitas distinguitur per Lineas & Gradus.
8. Linea alia Recta, alia Transversa,
9. Et hæc Æqualis vel Inæqualis est.
10. Gradus non eodem modo utroque Jure computantur.
11. Regula Canonica pro linea Recta,
12. Pro Transversa Æqualis,
13. Et Inæqualis,
14. Regula de iis Civilis.
15. Hodie copulari non possunt Consanguinei quarti,
16. Olim septimi gradus.
17. Moderna restrictionis ratio,
18. Et congruentia, desumpta ex numero humorum.
19. Pater filiam ducere Jure Naturali prohibetur:
20. Nisi id exigat conservatio generis humani.
21. De reliquis linea Recta consanguineis varii sensus DD.
22. Verius Nuptia inter eos non Naturali,
23. Aut Divino:
24. Sed Ecclesiastico Jure:
25. Et in infinitum prohibentur.
26. Eodem Jure irrita sunt inita nepotem inter & neprem.
27. Et inter fratrem ac sororem,
28. Divino humanoque Jure & ratione quoque spectatâ.
29. Leviticô relati gradus consanguinitatis,
30. Conjugia Divinâ lege veteri, cum

Christo mortuâ,

31. Et ab Ecclesia vivificatâ irritantur;
32. Non etiam Jure Naturali;
33. Ut adeo in eorum nonnullis ab Ecclesia valeat dispensari.

**C**onsanguinitas, à Sanguinis unitate sic dicta, sive Cognatio Naturalis est Vinculum seu propinquitas personarum, quæ ab eodem stipite sive propinquo progenitore, aut earum una ab altera per carnalem propagationem descendunt. Ex qua à Covarruvia de Sponsal. p. 2. cap. 5. §. 6. n. 1. tradita definitio.

Patet primò ratio, cur non omnes homines consanguinei sint; quia est, omnes ab uno eodemque stipite remoto, scilicet Noe & protoparente Adamo; non tamen omnes ab uno, sed diversis stipitibus sive progenitoribus propinquis descendunt: quod; ut quis alterius consanguineus sit, exigi, cum Paludano in 4. dist. 40. q. 5. art. 1. & cit. Covarruvia notat Gonzalez in c. Cum super 5. n. 6. & contrâ, cur consanguinei sint non solum Abel & Cain, sed etiam isti & Adam; etsi enim isti à nullo stipite communi: eorum tamen unus ab altero, scilicet Abel & Cain ab Adamo, per carnalem propagationem descendunt, Covarruv. §. cit. n. 3.

Patet secundò, cur consanguinei non sint angeli & homines, & istorum etiam primi parentes Adam & Eva; quia licet hi & illi ab eodem conditore Deo; ab isto tamen non procedunt per carnalem propagationem, vi ejus sanguine conjungantur, unde consanguinei dicuntur, l. 1. §. Consanguinei 10. ff. de Sub. & legit. hered. Barbosa in banc Rubr. n. 6. & contrâ, cur consanguinei sint Christus & Virginea ejus Mater; quia illius corpus conceptum & formatum est ex sanguine

fanguine istius, conceptioni totum id materia, quod cetera matres naturales, subministrantis, ut cum Angelico Doctore 3. p. q. 33. art. 4. generationem Christi ex parte materiae per matrem ministratae pro Naturali habente, docent Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 50. n. 1. in fine, & Perez disp. 2. de Matrim. f. 1. n. 2.

Patet tertio; quod, licet Cognatio in stricto & legum crebriore uti recepto sensu, per foeminas tantum conjunctas: Agnatio autem per masculinam lineam descendentes personas comprehendat, l. Non facile 4. §. 1. & l. fin. §. 2. ff. de Grad. & Affinib. Naturali tamen Jure & frequentiori sacrorum Canonum usu pro cognatis Naturalibus, iuxta §. Confanguinei cit. habeantur tam matres quam foeminae, ab eodem propinquo stipite descendentes, can. Conjunctiones, 35. q. 2. c. Confanguinei 10. de Sent. & re jud. c. Postremo 36. de Appellat. c. Tuos 7. c. Non debet 8. §. Prohibitio, hac Rubr. cit. Covarruv. n. 2. & Barbosa n. 7.

7. Porro Cognationes & Confanguinei per Lineas & Gradus distinguuntur. Linea est Ordinata series personarum ab uno stipite descenditium: quae duplex est. Una Recta, continens eas personas, quarum una ab altera originem ducit, vg. Titii patrem & matrem, avum & aviam aliosque Ascendentes, & ejusdem Descendentes, scilicet filium & filiam, nepotem & neptem, & pronepotem &c. Altera Transversa sive collateralis, continens personas confanguineas, quarum omnes quidem ab uno stipite sive communi principio & progenitore, earum tamen nulla ab altera procedit, ut sunt duo fratres, duae sorores, frater & soror, duo patruelis aut consobrini &c.

8. Atque haec linea Transversa ulterius vel

est Aequalis, quae datur, cum duo confanguinei à communi stipite aequali gradu numerò distant, vg. in duobus fratribus, quorum uterque uno, in duobus patruelibus, quorum uterque duobus gradibus à Titio vg. illorum patre & istorum avo est remotus: vel Inaequalis, quae datur, cum duo confanguinei à communi stipite distant graduum numerò inaequali, sicut vg. Titius & ejus fratris filius Caius, quorum ille uno, iste duobus gradibus distat à Petro tanquam stipite communi, Sanchez disp. cit. n. 2. Perez f. cit. n. 4. & Gobat Experient. Traët. 9. n. 154.

10. Gradus verò est distantia unius personae ab altera, quae vg. cognoscitur, an & quanam persona ex duabus vel pluribus confanguineis propior sit stipiti communi, Laiman. Lib. 5. Traët. 10. p. 5 cap. 4. n. 3. cit. Perez n. 4. & Gobat n. 157. Computatio, sive graduum numerus, aliter iniri solet Jure Canonico, in contrahendis matrimoniis, can. Ad sedem 35. q. 5. Aliter Civili, & in successioneibus hereditariis, tutelis &c. observando, can. cit.

11. Canonico enim, & quoad matrimonia in utroque Foro observando Jure, ut cognoscatur, quoto gradu duo confanguinei conjuncti sint, tres, quotidiano usu approbatae, Regulae traduntur.

Prima pro linea Recta: in qua ascendentes & descendentes tot gradibus inter se distant, quot inter eos intercedunt generationes; sic enim Titius & ejus Filius in primo, Titius & ejus nepos in secundo, & pronepos in tertio gradu confanguinei sunt; quia inter ipsum ejusque filium una, inter ipsum & nepotem duae, & pronepotem tres generationes intercedunt, Palao Traët. 29. disp. 4. p. 7. n. 3. & Engel ad hanc Rubr. §. 1. n. 7. Alii cum S. Thoma in 4. dist. 40.

F f

g. unica


q. unica art. 2. & cit. Sanchez n. 4. eodem sensu, & non minus expeditè, tot gradus in linea Recta esse dicunt, quot sunt personæ, demptâ unâ, scilicet stipite communi; sic enim Titius suo nepoti secundò, abnepoti quartò gradu conjunctus est; quia à Titio per filium ad nepotem descendendo tres; ac proinde, stipite, scilicet ipso Titio, dempto, quatuor personæ numerantur.


12. Secunda pro lineâ Transversâ æquali, in qua consanguinei collaterales tot gradibus inter se, quot ipsorum uterque à stipite communi, distant, *can. Ad sedem, & can. Parentela 35. q. 5.* sic enim duo Fratres & Sorores, in primo, duo Patruales, consobrini & amitini, sive duorum Fratrum, duarum sororum & Fratris ac fororis Filii in secundo gradu consanguinei sunt; quia à stipite communi, v.g. à Titio, communi patre suo, duo fratres vel duæ sorores uno, & ab eodem tanquam communi avo duo patruales, consobrini & amitini vel consobrina & amitina duobus gradibus sunt remoti, *cit. Sanchez n. 5. Perez n. 6. & Palao n. 2.*

13. Tertia pro lineâ Transversâ inæquali, in qua duo eò Consanguinitatis gradu conjuncti sunt, quot gradibus eorum remotior distat à stipite communi, *c. fir.* sic enim Titii v.g. filius & ipsius ex alio filio nepos, sive, quod idem est: duorum Fratrum unus & alterius Filii secundi gradus consanguinei sunt; quia Titii nepos, sive duorum fratrum alterius filius, qui ex iis remotior est, à communi stipite, sive ipso Titio prioris patre & posterioris avo, duobus gradibus, propter intercedentes duas generationes, distat, *idem Sanchez n. 6. Perez n. 7. & Palao n. 2.* Quæ omnia oculis subiiciet adjecta Arbor, ut vocant, Consanguinitatis.

Civili autem Jure distantia consanguineorum, tam in lineâ Rectâ, quam in Transversâ, cognosci potest ex unica Regula: juxta quam duo consanguinei inter se tot gradibus distant, quot inter ipsos intercedunt generationes; sic enim in lineâ Rectâ Titius nepoti suo secundò gradu conjunctus est, propter intercedentes inter ipsos duas generationes; sic in lineâ Transversâ æquali duo fratres vel sorores, aut frater & soror secundò, nepotes vel neptes quarto, & pronepotes vel proneptes sexto gradu conjuncti sunt; quia ab eorum uno ascendendò ad communem stipitem, & ab isto ad alterum descendendò tot generationes numerantur: sic in Transversâ inæquali Titii filius & ex alio ejus filio nepos, sive frater & fratris filius in tertio: ejus ex uno nepos & ex alio filio pronepos in quinto gradu consanguinei sunt; quia ab uno ad alterum per communem stipitem progrediendò tot numerantur generationes, Alii eòdem sensu & æquè clarè dicunt, tot esse gradus, quot sunt personæ collaterales ab uno stipite descendentes: & rursum alii juxta modum loquendi D. Thomæ & T. tot gradus esse, quot numerantur personæ, donec ab una ad alteram inclusivè perveniat, unâ demptâ. Ita ex *can. Ad sedem cit. & Novell. 118. cap. 3. Sc.* desumunt *cit. Sanchez n. 7. Perez n. 8. & Palao n. 4.* cum Legum Interpp. quorum examini, sicut ordinem successionum, sic etiam hanc graduum computationem relinquimus. His præmissis

Novissimi, & apud Orthodoxos DD. omnino indubitati, Juris Regula est, matrimonium hodie consanguineis, quartò & proximiori aliquo gradu conjunctis, prohibitum: imò inter eos initum irritum nullumque esse, Jure saltem Ecclesiastico, *c. Non debet 8. §. Prohibitio hæc*





- Vitio hęc Rubric. desumpto ex Concilio Lateranenli: in quo ab Innocentio III.*
16. Jura antiquiora, conjugiorum prohibitionem inter confanguineos usque ad septimum gradum inclusivè extendentia, *can. Nullum 7. can. De confanguinitate 17. can. Nulli 19. Sc. 3. q. 3* sunt correctæ: & illorū prohibitio usque ad quartum gradum inclusivè redacta & restricta est, ut *in c. Non debet cit.* advertunt Panormit. n. 9. Barbosa n. 3. & Gonzalez n. 1. Quare post memoratum Generale Concilium Titii v. g. pro-vel abnepotis, imò etiam Filia cum ipsius atnepote validè conjungerentur; cum sint confanguinei quinto gradu conjuncti, hęc ipsò; quòd in linea Transversà inæquali distantia desumatur à remotiori, per text. *c. fm. hęc Rubr. & ibi tradita à Glossa fm. Barbosa n. 2. & Fagnano n. 3.*
17. Ratio autem eam, quam confanguinitas in Ecclesia olim obtinuit, conjugia dirimendi vim ita restringendi, juxta §. *Prohibitio cit.* potissima fuit; quòd experientià compertum sit, ad septimum usque gradum se extendentem *cit. Veterum Canonum* prohibitionem sine magno dispendio, non posse servari; cum propter decreascentem in dies animi vigorem, rerumque moralium observantiam homines non facilè tot graduum recedantur; & propterea in gradibus prohibitis matrimonia sæpè cum animarum periculo, gravi eoque publico scandalo & damno contraherentur, & impedimentis, quæ prius ignorabantur, cum tempore detectis, dissolverentur. Alia *c. Non debet cit.* ex humani corporis humorum quaternario petita, non fundamentalis ratio: sed mera, nequaquam tamen, ut à moderni temporis Hæreticis quibusdam haberi solet, explosione digna congruentia est; cum enim homo ex quatuor humoribus, quatuor elemen-

torum naturam imitantibus, constet, ob prædominantium in singulis qualitatum aliis contrariarum conflictum, humani corporis alterationum frequentiam, ad generationem novarum & aliarum partium deperditionem, à progenitoribus haustus & cum extraneo permixtus sanguis in dies & cum tempore ita diminuitur; ut post quartam generationem sive in atnepote & atnepote ab atavo accepti sanguinis, à quo tanquam confanguinei à conjugio arcentur, vix aliquid amplius supersit, ut cum D. Thoma *q. cit. art. 4.* & aliis advertit Gonzalez *in c. Non debet cit. n. 3.*

Dubium nunc & controversia prima 19. est de Jure, quò irritum est matrimonium inter primi gradus confanguineos lineæ Rectæ. In quo cum S. Ambrosio *Epist. 66. ad Paternum*, in primo istius lineæ gradu, sive patrem inter & filiam, inter filium & matrem initum, Jure Naturali irritatum consentiunt plerique; partim propter Naturalem instinctum omnium aliquò modò bene institutarum Gentium, talium personarum conjunctionem execrantium: imò non paucarum belluarum abhorrentium ab ipsa, testibus rerum Naturalium scientià præstantissimis, Aristotele *Lib. 9. Histor. Animal. cap. 47.* & Plinio *Historia Natural. Lib. 8. cap. 42.* ut proinde Persæ nefanda matrum cum filiis connubia permittentes, tanquam gens barbara, mortalium animis à Natura insiti Juris prævaricatrix, non immeritò reprehendantur apud Pontium *Lib. 7. de Matr. cap. 31. n. 4.* Partim verò propter reverentiam & submissionem, à liberis debitam parentibus: cui æqualitas & familiaritas conjugum, eorūque mutuum in corpus jus, & actus conjugalis turpitudine maximè adversatur, ut insinuat Paulus *ICT. 9. l. Adoptivum 14. §. 2.*



ff. de Ritq nupt. asserens, *Contra pudorem esse, filiam suam uxorem ducere*. Et denique partim etiam; quod talis conjugii à Deo permitti, aut ab Ecclesia tolerari, ne dicam approbati, exemplum ullum non habeatur. Unde

20. Dubium secundum nascitur, an ejusmodi conjugium illicitum eò etiam casu sit, quò solus pater cum filia, solàve mater cum filio superesset; id enim tali etiam casu, seclusà speciali dispensatione Dei, illicitum esse, cum Cajetano 2. 2. q. 54 art. 9. Iustinent Petr. Ledesma de *Matrim.* q. 54. art. 3. Coninck *disp.* 32. n. 14. & Hurtad. de *Matr. disp.* 18. n. 7. Rationem reddunt; quòd conjugium inter ejusmodi primi gradus consanguineos etiam eò extremæ necessitatis casu non conveniat cum pietate in parentes & cum reverentia ac submissione, quam filia patri & matri filius debet.

Quin Perez *cit. disp.* 28. f. 2. n. 11. ad ejusmodi conjugium dispensari à Deo ullo extraordinariæ & extremæ quoque necessitatis casu posse, negat eà ductus ratione; quòd ejusmodi personarum copulatio non secus, quàm odium Dei, perjurium ac mendacium intrinsecè mala & à ratione naturali ad eò aliena atque indecens sit; ut ea nullo casu modòve cohonestari possit. Verùm hanc cum odio Dei &c. æquiparationem, tanquam ulli etiam in speciem solido fundamento non innixam, alii DD. non agnoscunt; atque idcirco ejusmodi conjugium ex ejusmodi generis humani conservandi causa permitti à Deo posse, facillè concedunt; quòd, cum is humanorum corporum dominus sit, sicut Evam in uxorem tradidit Adamo, ex cujus costa in mulierem ædificata erat *Genes. cap. 2. à v. 21.* sic etiam filiam patri suo in uxorem & filium in maritum matri suæ tradere valeat; cum id matri-

monii substantiæ finique simpliciter non repugnet; & pietas, reverentia ac submissio debita parentibus à Deo in liberis conservari, aliòve majore bono compensari queat.

Verisimiliùs etiam casu, quò ad humani generis conservationem liberorum cum solis parentibus superstitum copulatio medium simpliciter necessarium esse, appareret, eam illis, speciali Dei revelatione & dispensatione non interveniente, permittam, censent Sotus *in 4. disp. 40. q. unic. art. 3.* Palacios *disp. cit. disp. unic.* Veracruz *Speculi* p. 1. art. 43. Valentia p. 4. *disp.* 10. q. 5. p. 3. *cit.* Sanchez *disp.* 51. n. 10. Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 31. n. 5.* Palacios *cit. p. 7. n. 8.* & alii, quibus non obscurre favent SS. Ecclesiæ PP. ac DD. Ambrosius *Lib. 1. de Abraham cap. 6.* & Chrysostomus *in Genesin Homil. 44.* filiarum Loth cum isto concubitu *Genes. cap. 19. v. 33.* à culpa excusantes; quòd, Sodomà cum reliquis civitatibus sulphureo igne deletà, non superesse existimarent alium virum, qui humani generis propagationi possent deservire. Rationem reddunt; quia casu, quò conjugium inter ejusmodi primi gradus consanguineos medium ad humani generis conservationem unicum esset, reverentia ac submissio parentibus debita cederet communi bono totius generis humani, istiusque conservandi necessitas tolleretur & cohonestaret turpitudinem atque indecentiam actus conjugalis; cum reverentia & submissio illa minus & inferioris ordinis bonum sit, quàm propagatio & conservatio totius generis humani; ac proinde reverentiæ paternæ vel maternæ diminutio minus & inferioris ordinis malum, quàm est interitus totius generis humani. Cum ergo minus & inferioris ordinis malum majus & al-

tioris ordinis mali evitatio & hujusmodi boni conservatio cohonestet, per *can. Duo mala 1. dist. 13.* & tradita à S. Thoma 1. 2. q. 19. art. 6. ad 3. Turrecremata in *can. Duo cit. n. 1.* Covarruvia *cit. p. 2. cap. 7. §. 2. n. 9.* Suarez de *Penis. disp. 4. f. 10. n. 4.* Tuscho *Prætic. V. Malum. concl. 26.* & Menoch. *Lib. 5. præsumpt. 2 n. 24.* hinc reverentiæ parentibus debitæ aliqualem diminutionem, totius humani generis ab interitu vindicatio fati cohonestaret, & propositæ necessitatis casu licitam redderet ejusmodi primi gradus confanguineorum conjunctionem.

21. Dubium tertio & dissensio inter DD. non modica resque fati incerta est de reliquis confanguineis lineæ Rectæ; eos enim inter matrimonia usque ad secundum, cum Soto in 4. dist. 40. q. unic. art. 3. Gonzalez in c. Quod super §. n. 10. Usque ad quartum Goffredus in *Summa hæc Rubr. n. 7.* Usque ad septimum, Lud. Lopez *Instruct. de Matr. cap. 49.* Ultra decimum gradum alii, & rursus alii in infinitum à Naturâ irritata volunt; ut aded, si Adam superviveret, quacum matrimonium iniret, hodie non reperiret. Rationem reddunt; quod ascendentes, quantumcumque remoti, omnes sint progenitores descendentium; & propterea illis tanquam principiis honor & reverentia non minor, quam patri aut matri debeat, & exhibitus semper fuerit à Gentibus benè institutis: apud quas matrimonium avi cum nepte, proavi cum pronepte, &c. sicut inustatum, sic abominandum semper est visum.

22. Sed probabilis inter ascendentes & descendentes matrimonia ultra primum gradum Jure naturali non irritari, cum D. Thoma in 4. dist. 40. q. unica, art. 3. & aliis DD. allegatis, defendunt Sanchez *cit. disp. 51. n. 19.* & huic aliis, ubi potuit, contrarius Pontius *cit. Lib. 7. cap.*

31. n. 6. quos secuti sunt Perez *disp. cit. l. 6. n. 4.* & Fagnanus in c. Vir qui 9. à n. 33. Ratio est partim; quod sanguinis participatio minor sit in nepote quam in filio; in remotioribus autem descendens paulatim evanescat, & avus cum nepote, cum pronepote proavus minus conjunctus sit, quam cum filio pater; cum illis non immediatè tanquam principiis, sed potius tanquam principiis, seu causæ applicationi jungantur, & propterea, Jure naturali spectatò, avo & proavo minor, quam patri reverentia & submissio debeatur: neque in congressu cum illis tanta turpitudine & indecentia naturalis reperitur. Unde

Corruit ratio allata in contrarium; hoc ipso enim; quod avus nepti minus communicet, eique principium & causam solum applicet, minus propriè ejus parens & genitor est, minorque ei, quam patri reverentia debetur. Inusitata autem cum avo conjugia fuerunt propter Leges humanas, ea non tolerantes: cujusmodi lege cessante, avum infidelem cum nepte sua conjunctum, si ad fidem converteretur, ab ista non separandum, existimat *cit. Perez n. 5.* Atque hinc

Infertur, matrimonia inter ascendentes & descendentes in infinitum in novo Testamento Christianis prohibita etiam non esse Jure Divino; quia, ut Covarruvias *cit. cap. 6. §. 10. n. 1.* & cum eo Fagnanus *l. cit. n. 31.* advertit, in isto nullo gradus lege Divina prohibitus est, qui prohibitus non sit Jure naturali.

Dubium & non minor dissensio est 24. quartò, an inter confanguineos lineæ Rectæ conjugia in infinitum irrita sint Jure saltem Ecclesiastico. Negativam defendunt *citt. Sanchez n. 22.* & Pontius *n. 6.* quibuscum ex Coævis non pauci, & ex RR. sentiunt Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 8. n. 9.* Bonacina de *Sacram. Matr. q. 3. p. 5. §. 1. n. 10.*

§. 1. n. 10. Fagnantis in *c. Vir qui cit. n. 31.*  
& Gonzalez in *c. Quod super 5. n. 10.* eâ  
præcipuè permoti ratione; quòd impedi-  
mentum consanguinitatis olim quidem  
ad septimum inclusivè: postea verò *c. Non  
debet. §. Prohibitio cit.* ad quartum tan-  
tùm gradum, inter Rectam & Transver-  
sam lineam non distinguendò, fuerit re-  
strictum.

25. Sed, hâc tantorum DD. autoritate  
& ratione etiam non obstante, præfe-  
rendam cenfeo Affirmativam, quam cum  
Hostiensis in *Summa hâc n. 17. V. Non qua-  
ratur* Joan. Andr. de *Arbore Consang. n.  
12.* Panormit. in *c. Non debet cit. n. 8.* A-  
lexand. de Nevo in *c. cit. §. Prohibitio, n.  
12.* tenent Sylvester *V. Matrimonium 8.  
q. 6. d. 5.* Tholosan. *Syntag. Lib. 5. cap.  
9. n. 29.* & novissimè secutus est Lud. En-  
gel ad *hanc Rubr. §. 1. n. 9.* Ratio est;  
quia Jure Civili matrimonia inter ascen-  
dentes & descendentes disertè prohibentur  
in infinitum, *l. Nuptie 53. l. fin. ff. de  
Ritu Nupt. §. Ergo non omnes; Inst. de  
Nupt. ubi Imp. Inter eas, inquit, perso-  
nas, quæ parentum liberorumve inter se  
locum obtinent, contrahi Nuptia non pos-  
sunt: veluti inter patrem & filiam, vel a-  
vum & nepotem, vel matrem & filium, vel  
aviam & nepotem, & usque in infinitum.*  
Quæ Juris Civilis dispositio naturali hone-  
stati valdè conformis, & non solum  
non correctâ, sed clarè satis approbata est  
à Nicolao I. ad *Consulta Bulgarorum* inter  
cætera etiam exquirentium, quibus  
fœminis debeant jungi, *cap. 39.* præter sa-  
crorum Canonum Decreta, etiam §. *Ergo  
cit.* dispositionem ad verbum reponente,  
& *can. Progeniem 16. Sc. 35. q. 3.* ubi li-  
neæ Rectæ consanguineis in infinitum  
matrimonia prohibita, non obscurè habe-  
tur. Quare, quod Civili, etiam Ecclesia-  
stico Jure obtinebit, *arg. c. 1. de Novi oper.  
nunt.*

Ratio in contrarium allata non ur-  
get; quia *c. Non debet cit.* sermo tantum  
est de consanguineis lineæ Transversæ; &  
in Concilio ibi relato de restrictione im-  
pedimentorum, matrimonia inter hos di-  
rimentum, fuit actum, ut patet, partim;  
quia gravia dispendia, ex ulteriorum gra-  
dum prohibitione in Ecclesia provenientia,  
quibus ejus Concilii Patres ad impe-  
dimenta restringenda permotos, textus  
docet, ex solis collateralium conjugii oc-  
currebantur: partim; quia Concilium illud  
prorsus nullam causam habuit impedi-  
menta inter consanguineos lineæ Rectæ  
restringendi; cum de nullo conjugio in-  
ter hos contracto constaret; & ob brevita-  
tem vitæ rarè, aut vix unquam contrahi  
possit, ut cum Panormit. *cit. n. 8.* advertit  
Fagnanus *ibid. n. 35.*

Confirmatur hic *c. cit.* intellectus  
quia eò relatum Lateranensis Concilii de-  
cretum correctorium est Juris antiqui; ac  
proinde ejus tanquam odiosi permittio re-  
stringenda ad consanguineos lineæ Trans-  
versæ, de quorum conjugii à sacra illius  
Synodi Patribus actum, quorumque ad  
gradus quartò remotiores porrectâ inhi-  
bitio absque gravi dispendiò amplius non  
poterat observari: neque trahenda est ad  
lineam Rectam, inter cujus consanguineos  
ullum conjugium permitti, nec urgebat  
publica necessitas, nec evidens utilitas  
exposcebat; quòd antiqui juris honestati  
naturali valde conveniens inhibitiò sine  
difficultate semper observata, ullisquæ  
in Ecclesia dispendii vel incommodi non  
fuerit causa; ut ita priscorum & hone-  
statem publicam spectantium canonum  
non necessaria neque etiam publicè utilis  
correctio, cum facile potest, evitetur,  
& ut *c. Cum non expediat 29. de Elest. in  
6. §. 1. Præcipimus 32. C. de Appellat. §. 1.  
Non debet cit.* Jus recentius iis, quæ fre-  
quenter & facilè, non quæ perraro, & vix  
uno al-

uno alterove casu, vel nunquam eveniunt, accommodetur, quod l. *Ex his 4. § 1. Nam ad ea 5. ff. de LL. admonemur.*

26. Dubium quintò & DD. in diversa abeuntium magno dissensu agitata controversia est, an Jure Naturali irritum sit aliquod conjugium inter consanguineos lineæ Transversæ. Et in secundo quidem tertioque gradu id, Jure illò spectatò, subsistere, convenit inter Omnes; quòd in eo dispensari posse, constat ex Tridentino *Sess. 24. cap. 5. de Refor. Matr. & Praxi Ecclesiæ*, inter magnos Principes secundo gradu conjunctos, ob publicam causam id permittente.
27. In primo autem gradu, sive inter fratrem & sororem, conjugium Jure Naturali irritatum, volunt Covarruvias *cit. cap. 6. §. 10. n. 15.* Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 28.* Gutierrez *de Matrim. cap. 98. n. 20.* Sanchez *cit. disp. 52. n. 11.* & ab hoc relati alii, id desumentes ex *Gaudemus 8. de Divort.* Ubi Innocentius III. dum asserit, infideles in secundo & ab ulterioribus gradibus copulatos, si ad fidem convertantur, non separandos, non obscure innuit separandos, qui copulati sunt in primo. Rationem dant; quòd reverentiæ, quam sibi mutuò debent frater & soror, valde repugnet turpitudò actus conjugalis: ideòque Abraham; ut conjugii cum Sara initi suspicionem, indeque imminens vitæ periculum à se removeret, ipsam sororem suam vocàrit *Genes. cap. 20. v. 2.*
- Ego, sicut istorum Opinionem probabilem, sic probabiliore cenleo contrariam S. Thomæ 2. 2. q. 154. art. 9. Soti *in 4. disp. 40. q. unica, art. 2.* aliorumque VV. à *cit.* Sanchez n. 10. relatorum, quam ex RR. amplexi sunt *cit.* Pontius *cap. 31. à n. 3.* Perez *f. 5. n. 2.* Palao *p. 7. n. 11.* & Gonzalez *in v. Literas cit. 28. n. 6.* Moveor primò Historià sacrà ve-

teris Testamenti, in quo Imprimis per fratrum & sororum conjugia genus humanum propagatum est ex dispositione Dei, Naturæ Jura in ipso ejus conditæ primordio utique non statim infringentis. Deinde, Saram Abrahæ sororem & Uxorem fuisse, patet ex illius verbis, *Aliis autem & verò soror mea est, Filia patris mei & non Filia Matris meæ, & duxi eam in Uxorem, Genes. cap. cit. v. 11.* Hanc autem non solum ex propinquis aliquam, sed veram Abrahæ sororem fuisse, ex SS. PP. docent Hieronymus *in Q. Q. Hebraicis in Genes. & Clemens Alexandrinus Lib. 2. Stromat. cap. 12.* Denique Regum *Lib. 2. cap. 13. v. 13.* Thamar, Ammoni fratri violentam oppressionem dissuadens, *Quin potius, inquiebat, loquere ad Regem, qui me non negabit tibi:* quæ verba ad defensionem apta non fuissent, si matrimonium inter eos irritum fuisset Jure Naturali. Eadem, cum violata egeretur, *Majus, aiebat, hoc est malum, quod nunc agis in me, expellens me:* quibus verbis non obscure insinuat, Thamar, ut Uxorem retineri voluisse. Secundo exemplis Ægyptiorum, à rerum Naturalium cognitione celebratorum, & Atheniensium aliarumque Gentium, prudentiæ laude florentium, apud quas fratrum cum sororibus connubia usitata fuisse, testes sunt Tiraquellus *Connub. l. 7.* & Palæotus *de Norbis, cap. 3. n. 2. § 3.* Tertio Authoritate Imperiali *l. Si stipulor 35. ff. de V. O.* ubi JCT<sup>9</sup> assertionem, quæ aliud per Naturam, aliud per Leges fieri non posse, dixit, exemplis declarans, impossibile per Naturam esse ait, dare quod dari non potest: per leges autem, sororem in uxorem accipere: quò dictò cum ista initum connubiale fœdus Naturali Juri non repugnare, insinuat. Quarto ratione; quia duorum collateralium, etiam primo gradu conjunctorum, uterque alteri æ-

teri æqualis, neuter alterius principium aut alteri est subjectus; ideóque reverentia, quam sibi mutuó debent, conjugalis conjunctio non ita adverstatur, ut ei, quæ à filia patri debetur. Quintò demum; quia, si ejusmodi conjugia irritata essent Jure Naturali, ad ea dispensari non posset, *can. Sunt quadam 25. q. 1.* quòd tamen à Martino V. vel potius ejus nominis III. & aliis Romanis Pontificibus factum, Cajetanus *Opusc. de Matrimonio Regis Anglia & Sylvester V. Papa, q. 17.* perhibuerunt. Unde corrui ratio allata in contrarium.

Non majorem vim habent textus, & Historia Abrahæ. Ille; quia Innocentius de secundo & ulterioribus tantum gradibus respondit; quòd de his solummodo fuerit consultus. De primo autem, inter Doctores controverso, nihil statuit, ut ex contrariæ Opinioni assertoribus probè advertit Sanchez *l. cit.* Ista verò; quia, etiamsi Sara Abrahæ foror non fuisset, plus inde non inferretur, quàm rara, aut omnino inusitata, illis locis & temporibus fuisse conjugia inter fratres & sorores, ut notat Pontius *cap. cit. n. 6.* Pro istius & *n. 22.* stabilitæ Resolutionis confirmatione sit

29. Dubium sextum, an ergo in gradibus, Levitici *cap. 18.* vetitis, inter fideles inita conjugia irrita non sint Jure Naturali. Ratio dubitandi gravissima est; quòd *cap. cit.* imprimis in linea recta, præter inita inter parentes ac liberos, quæ Naturali Jure irritata, dictum est *n. 19.* inhibita & irritata etiam sint conjugia avorum cum neptibus & aviarum cum nepotibus *V. 10.* deinde in linea Transversa, sive inter collaterales, præter inita inter fratrem & sororem, sive ex utroque sive ex uno tantum parente conjunctos, *V. 9.* vetitum & irritatum sit conjugium nepotis cum amita & matertera sive patris

aut matris sorore, *v. 12. & 13.* licet ita vetitum non fuerit conjugium neptis cum patruo vel avunculo, sive patris aut matris fratre, nepi eodem gradu, quò amita & matertera nepoti, conjunctis, ut cum Soto *in 4. dist. 40. q. unic. art. 3.* Bellarmino *Lib. 1. de Matrim. cap. 24.* & aliis advertit *cit.* Sanchez *disp. 52. n. 1.* Quibus aliisque conjugiorum, in gradibus Levitici *cap. 18. cit.* expressis inhibitionibus novæ Legis fideles adstringi, cum Innocentius III. apertè agnoscat, *c. Literas 13. de Restitut. Spolar.* dum ejus §. *Opinionis.* In gradibus consanguinitatis Divina lege (scilicet Levitici *cap. cit. ut in c. cit.* notat Glossa *V. Divina*) prohibitis dispensari posse, negat, consecaneum est, in gradibus illis inter fideles inita conjugia irrita esse Jure Naturali; cum in gradibus illis inita irritata non sint Primò Jure Divino novi Testamenti; quia istius Divinò Jure propositum ferè nullum præceptum est ultra ea, quæ Fidem, Spem & Charitatem ritusque substantiales incrementi Sacrificii & Sacramentorum concernunt, ut cum D. Thoma *1. 2. q. 108. art. 1. & 2.* Soto *dist. cit. q. unic. art. 4.* Covarruvia *cit. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 1.* & aliis tradit *cit.* Sanchez *n. 2.* & matrimonium ad Sacramenti dignitatem à Christo Domino elevatum est sine ulla circa ejus contractum & personarum illud ineuntium habilitatem mutatione, juxta dicta *Tit. 1. n. 160.* Neque secundo Jure merè Divino Testamenti veteris sive istius Ceremonialium ac Judicialium præceptorum; quia Divinum hoc Jus quoad istiusmodi præcepta fideles in nova lege obligandi, eorumque conjugia irritandi vim non habet; cum Christi morte expiravit, teste Apostolo ad Hebræos *cap. 7. v. 12.* & S. Augustino, relatò *c. Translato 3. de Constitut. ut Dissert. Proem. n. 43.* est dictum. Neque tertio Ordinatione Ecclesiæ, Levitico pro-

tico prodita, & Christi morte evacuata præcepta resuscitantis ac vivificantis; quia Ecclesiastica ordinatione quæcunque condita aut resuscitata præcepta per viam dispensationis relaxari Apostolica auctoritate posse, D. Thomæ *Quodlib. 4. art. 3.* Covarruv. *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 7. n. 6.* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 14. n. 2.* & aliorum certa sententia est: ad conjugia autem in gradibus Levitico prohibitis dispensari à sede Apostolica non posse, rescriptit laudatus Innocentius *c. Literas §. Opinioni cit.* ut aded conjugiorum, in gradibus Levitico prohibitis initorum, nullitas, sicut cætera Moralia veteris Legis præcepta, necessariò descendat ex Jure Naturali, non obnoxio Apostolicæ dispensationi.

Confirmatur hæc ratio primò ratione, propter quam conjugia illa vetita sunt; ne scilicet reveletur turpitudine personarum gradibus illis junctarum, quæ naturalis indecentiæ & moralis ratio est.

Confirmatur secundò, *c. De infidelibus 4.* textu, quò idem Papa, infidelium contra sacros Canones, sed secundùm Legis veteris instituta conjunctorum & ad fidem converforum conjugia non dissolvenda, rescriptit. Unde argumentò à contrario ductò infertur, ea dissolvenda, si contra Legis veteris instituta coaluissent; ac proinde, sicut Decalogò comprehensa præcepta, sic etiam Leviticò reatas conjugiorum prohibitiones Morales & Juris Naturalis declaratorias esse.

32. Verùm sic confirmata ratio, quantumque ponderis primò intuitu sit, *n. 22. & n. 27.* stabilitas Resolutiones non convellit: & inter secundi Reclæ, atque inter ejusdem & primi etiam gradus consanguineos lineæ Transversæ inita conjugia Naturali Jure irritata, non persuadet; cum, conjugia quædã Levitico vetita,

Naturali Jure spectato, subsistere, evincat textus *c. Gandemus 8. de Divortii & Synodalis definitio Trident. Sess. 24. can. 3. de Sacram. Matrim.* quorum prioris præconjugia inter hujusmodi gradus consanguineos infideles inita sine ulla inter lineas distinctione pro validis habentur ab eòdem Papa Innocentio, eos ad fidem converfos in conjugio perseverare liberè ac licitè posse, decernente: posteriori autem, in nonnullis gradibus in Levitico prohibitis dispensari ab Ecclesia posse, negantes Anathemate damnantur. Accedit; quòd Levitici *cap. 18.* vetitum non sit conjugium neptis cum patruo & avunculo, eòdem consanguinitatis gradu conjunctis, quò amita & matertera conjuncta est nepoti, qui cum illis copulari Leviticò prohibetur, argumentò minimè obsecurò, legem his conjugia vetantem non esse Juris Naturalis declaratoriam & Moralem: sed ad Judicialia vel Caremonialia Hebrææ gentis præcepta pertinere; cum, Naturali Jure spectato, conjugium inter consanguineos ejusdem gradus æqualiter indecens ac vetitum sit.

Neque, Leviticò propositas nuptiarum inhibitiones Juris Naturalis esse, in eam rem deducta ratio efficaciter probat; quia *c. Literas §. Opinioni cit.* in gradibus lege Divina prohibitis dispensari non posse asseritur, non; quòd sit lex Divina pro novo Testamento à Christo Domino stabilita: vel; quòd Divina Lege veteri, Leviticò prodita, Papa adstringatur, aut in gradibus consanguinitatis illò vetitis collata dispensatio Apostolica invalida sit; sed; quòd Sedes ista propter personarum gradibus illis junctarum nimiam propinquitatem & legis Divinæ veteris reverentiam non debeat nec soleat in iis dispensare; & quòd id Ecclesiæ non expediat, neque facillè occurrat justa & ad dispensationem cohonestandam sufficiens

G g

causâ;

causa; cum id solum posse dicamur, quod iustum & honeste facere possumus, *can. Faciat* 15. juncta Glossa *V. Eodem* 22. q. 2. & *l. Nepos* 125. ad finem ff. de *V. S.* Cui §. *cit.* intellectui ansam ipse Papa dedit *c. cit. pr.* verbis, *In quo sedes Apostolica dispensare non potest*, subjiciendo, *Nec etiam consuevit*, quæ omnino superflua forent, si in gradibus illis dispensari simpliciter non posset.

Neque vim habet confirmatio prima; quia, licet rationi naturali contraria turpitudine aliqua in conjugii Leviticò vitæ planè omnibus reperitur, non omnium tamen turpitudine tanta est; ut ista eorum inducat nullitatem: & licet non facile occurrant, dari tamen possunt causæ, quæ turpitudini illi prævaleant, & dispensationem atque ex ista secutas nuptias cohonestent.

Non magis urget altera & *c. De infidelibus cit.* textus; quia ex isto à contrario illatum argumentum ulla ratione non fulcitur; cum *c. cit.* Papa, conjugia ante Baptismum secundum legem veterem inita esse valida, iisque copulatos post conversionem & susceptum Baptismum non separandos, rescripserit ad consultationem Archiepiscopi Tyrensis, an conjugia, contra sacros Canones inita ab infidelibus, invalida & dirimenda sint, ambigentis & interrogantis. Unde legitime quidem inferitur, à Judæis secundum veteris Legis instituta & à cæteris infidelibus secundum leges suas Politicas contra sacros canones contracta matrimonia non dissolvenda; quòd ante Baptismum sanctionibus Ecclesiasticis non afficiantur, *c. Gaudemus cit. pr.* perperam autem à contrario arguitur, contra veteris Legis instituta inita conjugia omnia irrita esse Jure Naturali; cum hic articulus *c. De infidelibus cit.* nec decisione nec ratione attingatur.

Quare nec matrimonia avi cum nepote & fratris cum sorore ut, *n. 22.* & *n. 27.* dictum: neque cætera etiam, quæ Leviticò vitæ sunt, indiscriminatim omnia Naturali Jure irrita sunt, ut cum Scoto in *4. dist. 40. q. unic. art. 2.* Cajetano *2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.* Soto *q. unic. cit. art. 3.* Navarro ad *Rubr. de Sponsal. Consil. 14. n. 8. cit.* Covarruv. *cap. 6. §. 10. n. 2.* Bellarmino *cap. 27.* & cæteris DD. Orthodoxis docent Sanchez *cit. disp. 52. n. 6.* & Perez *disp. 28. §. 6. n. 5.*

## ARTICULUS II.

### De Gradibus Affinitatis, iisdem obstantibus.

#### SUMMARIUM.

34. Hac oritur ex copula,
35. Etiam fornicaria,
36. Quatenus conjugium dirimit.
37. Non ex sola illius attentatione.
38. Ejus tria sunt genera:
39. Quorum hodie primum tantum obstat nuptiis,
40. Inter conjugem unum & alterius consanguineos,
41. Non inter consanguineos utriusque.
42. Olim usque ad septimum gradum:
43. Hodie, si affinitas ex conjugali usque ad quartum,
44. Et, si ex fornicaria copula orta sit, usque ad secundum.
45. Affinitas primi gradus linea Transversa non Naturali,
46. Sed Positivo Jure conjugium dirimit,
47. Veteris & novæ Legis exemplis,
48. Rationeque & Jure spectatis.
49. Eadem in linea Recta secundum aliquos Naturali,

50. Secundum alios & verius Positivo  
Jure conjugium irritari,  
51. Canones Ecclesiastici & ratio evin-  
cunt,  
52. Imperiali:  
53. Divinique Juris textibus non ob-  
stantibus.

34. **A**ffinitas, à Finium propinquitate sic dicta, est Propinquitas personarum proveniens ex perfecta copula carnali, Glossa in *Arbor. Affinit.* 35. q. 5. & passim DD. cum enim per copulam carnalem perfectam & consummatam vir & mulier fiant una caro, *Matth. cap. 19. v. 5. & can. Fratemitatis*, 35. q. 10. & qui adhæret meretrici, unum corpus efficiatur, secundum Apostolum *1. Corinth. cap. 6. v. 16.* illorum unius consanguinei ad fines alterius accedunt, *l. Non facile 4. §. 3. ff. de Gradib. & Affinib.* indeque consanguinei mariti affines Uxoris, & vicissim consanguinei Uxoris affines fiunt mariti. Unde

Patet, ad contrahendam Affinitatem non sufficere matrimonium ratum; cum enim per hoc vir & mulier una caro non fiant, ex eo non Affinitatis, sed publicæ Honestatis oritur impedimentum, Glossa *fin. in can. Si quis desponsaverit*, 27. q. 2. Panormit. *in c. Juvenis 3. de Sponsal. n. 4.* & Covarr. *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 2. n. 1. & §. 7. n. 3.*

35. Imò ad eam contrahendam nullò matrimonio est opus; cum ex personarum etiam solutarum illicita conjunctione oriatur, secundum Trident. *Sess. 24. cap. 4. de Ref. Matr.*

36. Neque his adversatur *l. Non facile cit.* cujus §. 3. & 8. Affinitatem aliunde quam ex justis nuptiis oriri, disertè negatur; quia imprimis id solummodo negatur quoad aliquos effectus Civiles, v.g. successione: non absolute, saltem quoad

matrimonium; cum, in isto etiam illiciti concubitus rationem haberi, constet ex *l. Liberi 4. C. de Nuptiis*, quæ matrimonia à filiis cum parentum concubinis inita, tanquam minus Religiosa & probabilia, rejiciuntur. Deinde; quia Jure Ecclesiastico, hac in re præcipue spectando, Affinitatem ex copulâ fornicariâ oriri, patet ex *c. In literis 24. de Test. & Atest. c. Discretionem 6. de Eo, qui cognovit &c.* & Trident. *cap. cit.*

Neque etiam, ut aliqui existimant, ad affinitatem contrahendam carnalis copulæ attentionem sufficere, desumitur ex *c. Juvenis 3. cit. & c. Fratemitatis 7. de Eo, qui cognovit &c.* ubi vir non admittitur ad conjugium cum ea, cum cujus sorore copulam tantum attentavit; quia utroque textu à conjugio arcetur, non propter affinitatem eâ attentione contractam, sed propter impedimentum publicæ Honestatis, ut in priorem Panormit. *n. 4. Barbosa n. 3. & Gonzalez n. 2. & 7.* in posteriorem verò textum iste & Barbosa *n. 2.* observant.

Porro Affinitatis tria sunt genera: 38. quæ exemplò clarius quam alia ratione declarantur; sic enim, si Titius frater meus matrimonium ineat & consummet cum Bertha, hæc mea & cæterorum Titii consanguineorum affinis est in primo genere affinitatis. Deinde, si fratre meo Titio mortuo Bertha copuletur Sempronio, oritur secundum genus affinitatis, quæ Sempronius alter Berthæ maritus me cæterosque Titii consanguineos contingit. Si demum, mortuâ etiam Berthâ, Sempronius matrimonio jungatur Caiæ, cum hac Sempronii uxore ego cum cæteris Titii consanguineis contrahimus tertium genus affinitatis, conjugium, à me meisque consanguineis, sicut cum Bertha & Sempronio, sic etiam cum Caiâ contrahendum, dirimentis, secundum Jus antiquum



*can. De Propinquis 3. Sc. 35. q. 3. Sc. an. fin. ibid. q. 5.*

39. Jure autem Decretalium recentiori, post sublatum à Concilio Lateranensi secundum & tertium genus, conjugia non dirimuntur, nisi inter primi generis affines, *c. Non debet 8. pr.* pro quorum gradibus & distantia cognoscenda magno DD. consensu & generali usu recepta est unica Regula: quæ in eo gradu quis uxoris affinis esse dicitur, in quo est consanguineus mariti: & vicissim in eo gradu affinis mariti, in quo est consanguineus Uxor. Unde uxoris consanguinei in primo vel secundo gradu, in eodem gradu affines sunt mariti, & vicissim, Tannerus *Tom. 4. disp. 8. q. 4. n. 118.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 54. n. 3.* Quæ oculis subjiciet adjecta Arbor Affinitatis.


40. Dixi, quod bene notandum, affinem aliquem fieri *Uxor. aut Mariti*: non *Uxor. aut mariti consanguineorum*; quia inter utriusque illorum consanguineos affinitas, quæ conjugio obstat, non contrahitur. Unde hoc validè & licitè in-


41. eunt Primo duo fratres cum duabus Sororibus, uti etiam pater & filius cum matre & filia: & pater tresque ejus filii & fratres germani cum matre istiusque tribus filiabus & sororibus germanis: quæ cum illis alicubi nostra ætate & eodem tempore sunt conjunctæ. Secundò privignus cum matre, filia aut sorore novercæ, & privigna cum patre, filio aut fratre vitrici; quia privignus & privigna solius vitrici aut novercæ, non etiam personarum his sanguine conjunctarum sunt affines. Tertiò, fratris & sororis mortuorum superstites conjuges inter se; sic enim, Titio Sempronii filio & Caia illius filia mortuis, superstites & vidui eorum conjuges, scilicet Bertha Titii uxor & Cornelius Caiæ maritus legitime copulantur; cum Bertha & Cornelius nulla

affinitate sint conjuncti. Quartò filius mariti & filia uxoris ex conjugis, ante cum alia aliòve initis, procreati. Quinta valida sunt matrimonia successive inita cum duabus viduis, quarum defuncti mariti erant fratres germani; sic enim Titius ducere potest Bertham & hac mortua Caiam, quarum defuncti mariti erant Mavius & Sempronius duo fratres germani. Pluribus exemplis hanc rem illustratam dabant Tannerus *cit. q. 4. n. 118.* & Laiman *cit. p. 4. cap. 5. n. 4.*

Sicut Affinitatis genera, sic novò Jure etiam in primo genere, restricta est prohibitio matrimoniorum; Jure enim antiquò, sicut consanguinitas, sic etiam affinitas ad septimum usque gradum matrimonium dirimebat, *can. Nullum in vtroque 7. Sc. 35. q. 3.* Novò autem ejusdem Concilii Lateranensis, inter quatuor tantum gradus affines inita conjugia dirimuntur, *c. Non debet cit. §. Prohibito.* Imò, affinitas quæ ex illicita copula oritur, à S. Synodo Tridentina ita restricta est, ut illa non dirimat, nisi inter affines, primi aut secundi gradus, *Seß. 24. cap. 2. de Ref. Marr.* quòd veterum Canonum latius patens prohibitio, propter gravia scandala aliæque incommoda inde orta, jam non amplius possit observari, ut de consanguinitate *n. 17.* est dictum, Hac satis certa,

Dubium autem est primò, an Naturali Jure irritum sit conjugium inter affines lineæ Transversæ. Et quidem, si eorum affinitas ex copula fornicaria orta sit, conjugium illo Jure non dirimi, satis exploratum est, cum; quòd nullitatis non appareat efficax ratio naturalis: tum verò; quòd cum ejusmodi affinibus occultis ad matrimonium Papa dispenset in sacra Pœnitentiaria, & dispensandi facultatem aliis committat. Simili modo inter ejusmodi affines ex copula licita seu conjugali, secundò





secundò vel remotiori gradu conjunctos, conjugium irritum non est Jure Naturali, propter eandem rationem, & quia conjugium inter ipsos secundi & ulterioris gradus consanguineos lineæ Transversæ eò Jure irritum non est, juxta dicta à n. 26.

45. Quare in dubium solummodo vocatur conjugium initum inter ejus lineæ affines primo gradu conjunctos: ut sunt maritus & uxoris defunctæ soror, uxor, & mariti defuncti frater: quos inter matrimonium Naturali Jure irritatum, cum nonnullis antiquioribus asserunt nostri temporis sectarii, eam in rem allegantes Primò *cap. 18. Levitici*, diserte veritatis conjugium cum uxore fratris *v. 16.* uti & fratris cum sorore, *v. 9.* cujus rationem uxor habet; quippe quæ per matrimonii consummationem unus sanguis & una caro effecta est cum fratre. Secundò illud *S. Præcurforis Domini, Herodem* ob ductam fratris sui Philippi uxorem increpantis, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, *Matth. cap. 16. v. 4.* & *Marci cap. 6. v. 18.* quæ increpatione ex eo vel maximè urget; quòd Herodi cum fratris sui uxore conjugium non tam Levitici, cujus præceptis tanquam Gentilis non adstringebatur, quàm Naturali Jure fuerit interdictum. Tertio *c. Gaudemus 8. de Divoritiis*, cujus *pr.* conjuges pagani, conjuncti secundo & ulteriori gradu, cum ad fidem convertuntur, non separandi dicuntur. Unde argumentò à contrario ductò infertur, eos, si primo gradu conjuncti sint, separandos; ac proinde eorum conjugia irrita esse Jure Naturali. His tamen non obstantibus

46. Veritati magis consentanea & omnino certa doctrina est, inter primi gradus affines lineæ Transversæ, sive cum uxoris defunctæ sorore & cum mariti de-

functi fratre conjugium, licet propter naturalem quandam indecentiam illicitum sit, solo tamen Jure Naturali spectato subsistere: Divinòque veteris & novæ Legis Ecclesiastico Jure fuisse irritatum, ut cum Cajetano *Tom. 3. Opusc. Tract. 14. de Conjug. Reg. Angliæ ad Clement. VII. Covarruvia de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 7. Bellarmino Lib. 1. de Matr. cap. 28. Petr. Ledesma de Matrim. q. 55. art. 6. Sanchez cit. Lib. 7. disp. 66. n. 11. & Pontio Lib. 9. de Matr. cap. 34. n. 3.* Catholica veritatis instar magno consensu defendunt RR. propter varia exempla utriusque Testamenti; quia imprimis in lege Naturæ Patriarcha Jacob Liam & Rachaelem Labani filias duxit, *Genes. cap. 29. v. 23. & 28.* & Judas relictam primogeniti sui defuncti Oman alteri suo filio in uxorem dedit, *Genes. cap. 38. v. 8.* Deinde in lege Moisaica frater sine liberis defuncti fratris sui uxorem ducere jubetur *Deuteron. cap. 25. v. 5.* Denique in nova Lege, cum fidelibus ad ejusmodi matrimonia non semel ab Ecclesia dispensatum, legimus; sic enim ab Alexandro VI. cum Rege Lusitanæ: cum Casimiro Rege Poloniæ, ad fratris sui Uladislai relictam, à Clemente VIII. & antè à Julio II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege, ad Catharinam Arcturi fratris sui defuncti uxorem ducendam dispensatum, Orbi universo notum: eamque dispensationem, consultis prius celeberrimis Europæ Universitatibus & DD. validam fuisse, à Clemente VII. speciali Bullâ editâ pronuntiatum, *Castro Lib. 1. de Lege penali cap. 12.* aliique testantur: quæ fieri utique non potuissent, si ejusmodi conjugia irrita essent Jure Naturali. Confirmantur ista, partim ex *c. fin. de Divoritiis*, ubi Innocentius III. maritos infideles, qui defunctarum uxorum suarum sorores duxerunt, in

G g ;

runt, in

sunt, in conjugio persistere permittit: partim ratione; quia affinitū lineæ Transversæ neuter est alterius superior; proindeque à neutro alteri specialis reverentia aut submissio debetur: vel, quæ debetur, tanta non est; ut matrimonium inter eos exigat irritari.

Neque Orthodoxam hanc doctrinam convellunt aut ancipitem reddunt, quæ ei à nostri temporis Sectariis opponuntur.

Primum; quia non in omnibus gradibus Leviticò prohibitis conjugia Naturali Jure irritata, jam dictum est à n. 29. &, si Jure isto non subsisteret conjugium fratris cum sorore; inde tamen non rectè argueretur ad conjugium initum cum uxore fratris aut cum fratre mariti, cum; quia affinitas minor est consanguinitate, ut nemo facile inficiatur: tum verò; quia frater cum uxore sua unus sanguis & una caro non est verè ac propriè, sed impropiè propter utriusque sanguinis commixtionem & conjunctionem carnis in copulatione.

Secundum, sive increpatio S. Joannis Baptistæ v. 4. & v. 16. cit. quia Herodes uxorem Philippi fratris sui, isto adhuc superstite, contra Divinum & Naturale Jus duxerat, ut cum S. Hieronymo Comment. in Matth. cap. 14. Beda in Marci cap. 6. cit. S. Thoma in Matth. cap. 4. Josepho Lib. 18. Antiquit. cap. 9. Eusebio Pamphil. Lib. 1. Histor. Eccles. cap. 11. Niceph. Callisto Lib. 1. Histor. cap. 19. & aliis docent Bellarmin. Lib. cit. cap. 27. & Covarruvias cit. §. 10. n. 9. partim verò; quia, esto Philippus jam fuisset mortuus, Herodes tamen, ut eo tempore ceteri Idumæi, testibus laudato Josepho Lib. 3. cap. 17. sectatus erat Religionem Judæorum, vetantem conjugium cum uxore fratris jam defuncti, si iste liberos reliquisset, Levitici

cap. 18. v. 16. sicut à Philippo ejus fratre Herodialis filia saltatrix relicta fuit, Sanchez cit. disp. 66. n. 12.

Postremum, desumptum ex c. Gaudemus cit. pr. quia isto sermonem de solis consanguineis esse, observant cit. Sanchez disp. 66. n. 14. in fine & Perez disp. 31. f. 4. n. 3. &, in his etiam primo gradu conjunctis matrimonium Naturali Jure dirimi, ex pr. cit. perperam inferitur; quia Papa de infidelium secundo & ulteriori gradu conjunctorum matrimoniis, ea post Baptismum susceptum non dissolvenda, ad consultationem respondit, primò gradu omnino intactò & sub dubio relicto, ut insinuatum supra n. 28. & præter alios notat Gonzalez in c. cit. n. 2.

Dubium secundo est, an Naturali Jure irritum sit conjugium inter affines in primo gradu lineæ Rectæ. Non quidem, si affinitas orta sit ex copula fornicaria; cum ad conjugium inter ejusmodi affines contrahendum & ad jam contracti ulium, quando affinitatis impedimentum occultum est, Sedes Apostolica non raro dispenset in sacra Poenitentaria, teste Laiman. Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 5. n. 6. & dispensandi facultatem aliis committat apud cit. Perez f. 5. n. 2.

Sed, si affinitas orta sit ex copula conjugali: sicut est inter socerum & nurum, socrum & generum, vitricum & privignam, novercam & privignum; an enim inter tales inita conjugia Naturali vel Positivo tantum Jure irritata sint, dubium ingens & inter DD. Catholicos olim hodieque agitata controversia est: in qua illa Naturali Jure irritata, affirmantium Opinionem, cui S. Augustinus can. Si vir & uxor, 35. q. 3. relatus admodum favet, cum Paludano in 4. disp. 41. q. 1. art. 5. concl. 2. Sylvestro V. Matrimonium 8. q. 15. d. 6. Soto disp. cit. q. univ. art. 3.

art. 3. & aliis antiquioribus propugnant Covarr. cit. §. 10. n. 6. Bellarmin. *Lib. 2. de Matr. cap. 28. not. 2.* & Laiman. *cit. cap. 6. n. 5.* Moventur primò, textibus Juris Civilis, l. *Si ad adulterium 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult. §. 1. fin. §. 1. ff. de Condiç. sine causa*, ejusmodi nuptias habentis pro incestuosis. Secundò, autoritate Concilii Arvernensis *cap. 11. matrimonio cum privigno inito Naturæ Jura perumpi, aſterentis.* Tertio lege Divina, *Levitici cap. 20. à v. 11. easdem, tanquam grande nefas, gravissimis poenis subiiciente, apud Prophetam Amos cap. 2. v. 2. tanquam gravissimum scelus exaggerante filii & patris concubitum cum puella; quòd eò Nomen Dei sanctum violârint, id est, Gentibus tales concubitus abominantibus occasione præbuerint Nomen Domini Dei sanctum blasphemandi; & illò Apostoli, Audiat inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes; ut uxorem patris sui aliquis habeat, 1. Corinth. cap. 5. v. 1.* Quartò, usu Ecclesiæ, quæ ad ejusmodi matrimonium nunquam legitur dispensasse. Quintò ratione; quia vitrico & novercæ, socero & socru; quòd parentum loco sint, §. *Socrum 7. Instit. de Nuptiis §. 1. Quia parentis 16. ff. Solutio matrim. eadem ferè, quæ parentibus, reverentia & submissio deberi, & huic mutua conjugum obligatio, & actus conjugalitatis turpitudine adverstari videtur.*

50. Huic tantæ autoritati & momentis rationum ea quidem vis inest; ut ad ejusmodi matrimonium, si aliquando validè: licitè tamen nunquam, nisi ex gravissima maximæ & extraordinariæ necessitatis causa, dispensari posse, existimem cum Card. de Lugo *Respons. Moral. Lib. 1. dub. 40. n. 36.*

Nihilominus tamen, ab ejusmodi

in primo gradu & lineæ rectæ affinibus contractum, non Naturali, sed Ecclesiastico Jure irritatum, cenſeo cum D. Thoma 2. 2. q. 174. art. 9. Cajetano *ibid.* Abulensi in *Lib. 1. Reg. cap. 8. q. 149. 151. Sc.* & aliis VV. quos ſecuti sunt Henriquez *Lib. 11. cap. 1. n. 22. cit.* Sanchez *disp. 66. n. 7.* Pontius *cap. 34. n. 5.* Palao *Tract. 29 disp. 4. p. 8. n. 12.* Diana *p. Tract. 4. resol. 93.* & Gonzalez in *c. 1. n. 9.* suam hanc Opinionem desumentes aut firmantes 51. Imprimis autoritate Conciliorum Agathensis, *relati can. De incestu, 34. q. 3.* Epauensis *can. 30.* & Aurelianensis III. *can. 10.* quorum posteriori, cum relicta patris & cum filia uxoris in infidelitate contracta conjugia, non solvenda post susceptum Baptismum: prioribus autem cum privigna ante suam prohibitionem constituta, subintellige, *Matrimonia*, ad quæ verbum illud Doctores *cit.* (non *Decreta antiquorum Canonum*, ad quæ id, non tamen improbabiler *cit.* Lugo *n. 16.*) referri volunt, post suæ prohibitionis decretum non dissolvenda dicuntur contrà, quàm debent, quæ irritata sunt Jure Naturali. Deinde sacræ prophetæque Historiæ exemplis, sic enim Adonias Abisag, David patris sui relictam, sibi petiit copulari *Lib. 3. Regum cap. 2. v. 17.* sic Seleucus Rex Stratonicen uxorem suam filio in matrimonium dedisse perhibetur à Valerio Maximo *Lib. 5. cap. 7.* Denique etiam ratione; quia, licet ejusmodi matrimonium valde indècens, eamque ob causam extra maximæ necessitatis casum permittendum non sit, tamen ejusmodi affinium neuter alterius superior aut alteri tanquam naturali suo principio, connubiale fœdus simpliciter excludenti, est subjeçtus. Idem fœdus etiam non excludit reverentia, quæ ab uno alteri debetur & exhiberi solet ipsi patri: &

patri: &, si eam excluderet, qua ratione dispensari posset ad matrimonium cum eâ, quæ à patre extra matrimonium carnaliter cognita, itaque cum suo principio una caro est effecta? ut cum *cit.* DD. rectè advertit Perez *disp. 31. s. 3. n. 6.* Unde planè corrumpit ratio contrariæ Opinionis.

52. Leges etiam Civiles aliud non evincunt, quam ejusmodi nuptias, propter naturalem quandam indecentiam, meritò prohiberi & irritari potuisse: & quia prohibita & irritata sunt, pro incestuosis Jure haberi. A Concilio autem Arverneni matrimonii cum privigna inito, cum Jus Naturæ perrumpi dicitur, id de Jure solum prohibente, non etiam de irritante exaudiendum, desumitur ex eo; quòd idem asserat de matrimonio inito cum forore uxoris, naturaliter non decente & illicito, nisi gravi causa coonestetur, *cit.* Pontius *n. 9.*

53. Non majorem vim habent textus legis Divinæ. Veteris quidem; quia hæc

ejusmodi matrimonium nusquam irritavit. Gravissimis autem penis id meritò subjecit propter maximam indecentiam: propter quam ad ipsum dispensatio ab Ecclesia nunquam est impetrata: neque ejus in posterum impetranda spes est, extra casum urgentis omnino extraordinariæ necessitatis. Patris etiam & filii cum eadem puella concubitus abominandum scelus reputatum apud Amos est, fuitque; quòd non incestus tantum, sed cujusdam adulterii omni Jure damnati & apud Gentes scandalosi habuerit rationem. Novæ autem Legis sive *cap. 5. v. 1. cit.* textus; quia isto sermo est, de matrimonio à filio inito cum uxore patris adhuc viventis: quod non obscurè innotuit ipse Apostolus, dum ait, *Hæc scripsi non propter eum, qui fecit injuriâ, nec cum quo passus est, intellige Patrem adhuc viventem 2. Corinth. cap. 7. v. 12.* hoc enim solum inter Gentes inauditum erat. Ita Seditius, Cajetanus & alii à Cornelio *in cap. 5. v. 1. relati.*



## TITULUS XV.

### De Frigidis & Maleficiatis, & Impotentia coeundi.

**R**erquam molestæ Curiarum Ecclesiasticarum Præsidibus esse solent lites, ortæ super impotentia coeundi; quòd ejus certa ratio, etiam Medicæ artis peritorum auxiliò investigata, sæpe vix, & nec sic quidem deprehendatur; & propterea sententias super ea, quacunque circumspeditione latas, retractare sit necesse.

#### ARTICULUS I.

#### De Impotentia Varietate & causis.

#### SUMMARIUM.

1. Impotentia duplex acceptio: 2. Et I.